



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Symbolum XX. Prodigiosa navis Bacchi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

SYMBOLVM XX.

Prodigiosa navis Bacchi,

3. Metam.

Ethicè.

1. Vini commoda. 2. Vinum secreta revelat. 3. Vinum accendit ferociam. 4. Mulier vinosa. 5. In vino scurrilitas & impudentia. 6. Vinum efficit bestiam. 7. Naufragium in vino.

Bacchus, Deus vini, ἀπὸ τῆς Βακχεῖν, ab incondito clamore, quem bacchantes. seu Bacchi sacra obeunt, edere solebant, dictus est. Filius fuit Jovis & Semeles, quæ nuncupata est ἀπὸ τῆς σείην τὰ μέλη, à concutiendis membris, quod vinum facit. Foetum partui maturum Jupiter ex matre fulmine combusta exemisse, suoque infutum femori, enixus esse fingitur, unde Bacchus *Bimater*, & *Dithyrambus* dicitur, παρὰ τὸ δύο διπλάς βῆναι, quod bis natus, velut per duas januas transierit. *Bromius* quoque vocatur, ἀπὸ τῆς βρέμω, sono, strepo. Item *Liber* & *Lyæus*, quod curis liberet, & animum solvat. *Lenæus* quoque, ἀπὸ τῆς ληνῆς à torculari. *Nyctelius*, ἀπὸ τῆς νυκτῆς, quia ejus sacra noctu celebrantur. *Dionysius*, quasi mentem feriens, pungens, lancinans; nam *dia*, mens, νόσσω à νόσσω, pungo. *Iacchus* nominatur ab *ιάχχω*, clamore. *Enchius* ἀπὸ τῆς εὐχῆς à voto vel *Enchys*, à χύω, fundo, quia fundit in cyathos. *Eleleus*, quia furoris & pugnarum plerumque auctor; nam utebantur hac voce ελελεῦ ab ἐλελίξω vociferor, in hymnis & pœanibus, quibus homines impellebant ad bellum. *Thyonius* dicebatur ἀπὸ τῆς θυσιῆς, à sacrificando. *Eujus*, *Euan* & *Evoë*, interjectionis voces, quasi *hui*, *hoë*, quibus sese mutuò incitabant Bacchico numine afflati. Alia cognomenta Deus hic fortitus est à locis diversis, ubi colebatur. Fertur educatus à Nymphis, & perpetua juventute floruisse, unde imberbis, comatus & instar formâ florentis pueri pingitur, tibiâ manu, vel thyrsum (hastam pampinis circumflexam) cornua capite præferens, hederâ vel pampineis folijs coronatus; insidet curru, quæ tigres, lince, pantheræ trahunt, comitantibus petulcis Satyris, ridiculis Silenis, furiosis Bacchidibus cum cymbalorum & tympanorum strepitu, tædis accensis crinibus passis; quarum varia nomina, *Manades* à

μαινόμεναι

μαίνομαι, ferocio, infanio. *Thyades*, ab impetu & furore, Baccho sacrificantium: *Mimallones*, ἀμιμῆσαι imitor, quia ad imitationem Bacchi cornua ferebant. *Bassarides* à Bassareo seu Baccho, qui utebatur genere vestis demissæ ad talos, quam Thracos *Bassarini* dicunt, aut à vulpibus, quarum pellibus Bacchæ succingebantur, nam Thracibus vulpes appellantur *bassares*. Atque hæc Sacerdotes hæc Sacra curabant. Quidam *Semela* Bacchi parenti quatuor sorores adjungunt, quia sunt totidem ebrietatis genera & effecta. Primum *Vinolentia*, unde prima soror *Ino*, ab οἶνος *vinum*. Secundum *Rerum oblivio*, unde *Autonoë*, quasi ἀνοήν & γοῦσα, id est, seipsam non agnoscens. Tertium *Libido* nempe tertia soror, dicta & ipsa *Semele*, quasi σαρμάλλω, seu *corpus solvens*. Quartum *Insania* scilicet *Agave*, nam ἀγῶνις significat apud Hesiodum in Theogon. voce horribilem. Ipsa verò Bacchi Sacra sunt *Orgia* nominata, ἀπό τῆς ἰσχυρίας, ab iracundia, furore, impetu.

Cæterum inter alia celebratur ab Ovidio *Bacchica navis* prodigium, & nautarum in Delphinas mutatio. Cum enim Baccho ob eximium *vini inventum* Bœotia sacrificia institueret, & cuncta tibijs, tympanis, ac tumultu bacchantium perstreperent, *Pentheus* rex Thebanus, aperta vi resistebat, & captum abripi Bacchum, atque ad se deduci imperabat. Bacchus sub habitu famulari, ducentium manibus elapsus, ad littus maris effugit, navimque, quæ Tyrrhenorum erat, nactus, conscendit, in insulam *Naxos* abnavigaturus. Convenitur de naulo; solvitur è portu, & in altum provehitur. Verum perjuris nautis non constitit fides pacti; cum enim aliquid in adolescente adverterent augustius homine plebeio, constituerunt ipsum spoliatum, & exutum in deserto aliquo loco exponere. Non potuit fraus latere Deum, quare meritas de perfidis pœnas repetiturus, repentinò portentò, vela navis, antenas, rudentes, remos, cum universo instrumento nautico, vitibus, hederis, & racemis obtexit. Remiges cum nec remis, nec velis, quippe pampineo frondium flexu impeditis, quidquam proficerent laborando, insuper spectris ferarum à Baccho objectis perterrescerent, præ consternatione in undas se præcipitarunt, inque delphinas migrarunt. Rex autem *Pentheus* in Cytheronem montem *Orgia* seu bacchanalia disturbatum se contulerat; ibi à matre *Agave*, duabusque sororibus, furore correptis, & aprum se laniare opinantibus, miserandum in modum frustillatim concisus, crudeles Baccho pœnas dedit.

N

Ethica.

Ethica.

Jam doctrinam subjiciemus non unam. I. (a) Bacchus fingitur specie venusti pueri, hilaritatem vultu præferentis, tibiam, lætitiæ instrumentum, manu tenentis. *Vinum* enim, teste regio Vate, lætificat cor hominis. psal. 103. Et Siracides cap. 31. *Vinum in jucunditatem creatum est, & non ad ebrietatem.* & ibid. *Exultatio est animæ & cordis vinum moderate potatum.* Ideò Bacchus à Nymphis educatus fertur, ut scilicet lymphis mitigetur, si ferventiùs incalcescat. *Lyæus*, quod diximus, à solvendo dicitur, nam solvit animum curis. Unde Horatio vocatur *Lætitiæ Dator*. Notum est illud Anacreontis: *Quando bibo vinum, dormiunt curæ.* Et illud Zenonis: Sicut lupini amarissimi crebra aquarum aspergine macerati dulcescunt: ita animi tristes vino irrigati molliuntur atque mitescunt. Ovidius canit:

Cura fugit multo diluiturque mero.

Et Tibullus lib. 1. eleg. 7.

Ille liquor docuit voces inflectere cantu,

Movit & ad certos nescia membra modos,

Affonat Horatius lib. 1. Od. 18.

Quis post vina gravem militiam, aut pauperiem
crepat?

Apud Ciceron. 3. Tusc. legimus: Huic calix nulli impingendus est, ut plorare desinat. Monet Salomon Prov. 31. *Dare scieram mægestatis suæ, & doloris sui.* Sed hæc lætitia limites moderationis ne excedat, nam fistula manu Bacchi gestata quosdam longiùs extra temperantiam abripit; & fit, quod Prov. 23. dicitur: *Vinum ingreditur blandè, sed in novissimo mordet ut coluber, & sicut regulus (seu basiliscus) venena diffundet.*

II. (b) Nuditas Bacchi significat vinò secreta revelari. Hinc Ovidius:

Tunc aperit mentes ævo rarissima nostro

Simplicitas, artes (c) excutiente Deo.

Et Horatius Od. 21. lib. 3. de vino:

Tu lene tormentum ingenio admoves

Plerùmque duro: tu Sapientium

Curas, & arcanum jocoso

Consilium retegis Lyæo.

(a) Vini commoda. (b) Vinum secreta revelat. (c) Astutiam expellente.

Idem

Idem ad Pifones de arte Poëtica:

Reges dicuntur magnis urgere culullis
Et torquere mero, quos perspexisse laborant.

Aptam ad hoc similitudinem inducit Romanus Philosophus. Quem admodum, inquit, musto dolia ipsa rumpuntur, & omne quod in imo jacet, in summam partem vis caloris eiecit: sic vino exastuante, quidquid in imo jacet abditum, effertur, & prodit in medium. Et Plinius lib. 14. c. ult. Cùm vinum solverit rigorem, vigorémque mentis, animi secreta proferuntur, redituraque per jugulum voces non continentur. Vulgóque *veritas* attributa vino est. Et S. Ambrosius: Plerique vino utuntur ut eculeo, & quibus tormenta non eliciunt vocem proditiōnis, eos tentant bibendo, ut patriæ statum, salutem civium, defensionis suæ prodant consilia. Nam quis inter cyathos texit, quod latere cupiebat? Clytum strenuum Alexandri Ducem quid perdidit, nisi liberior & solutior inter pocula lingua?

III. (d) Baccho cornua tribuunt Poëtæ, quia qui liberaliùs biberint, ad pugnam sunt parati & animosi. Hinc Ovidius:

Vina parant animos, faciuntque caloribus aptos,

Et Horatius lib. 1. epist. ad Torquatum:

Quid non ebrietas designat? operta recludit,
Spes jubet esse ratas, in prælia trudit inermem,
Sollicitis animis onus eximit, ac docet artes.
Fœcundi calices quem non fecere disertum?
Contracta quem non in paupertate solutum?

Et lib. 3. Ode 21. de Baccho:

Tu spem reducis mentibus anxijs,
Virisque & addis cornua pauperi,
Post te neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.

In hanc rem graviter Salomon Prov. 23. *Cui va? cuius patri va? cui rixæ? cui fovea? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? Vinum scilicet fumos calidos in caput exhalat, qui cerebrum, indeque bilem ac furorem accendunt: unde ira, lites, rixæ, cædes & verbera. Ita quotidiana docet experientia, gulonum Convivia & Symposia desinere in jurgia, cædes, vulnera. Quocirca S. Chryostomus, sicut oleum, inquit, alit lucernam, sic vinum inflammat iram. Confirmat Salomon Prov. 20. *Lux-**

N 2

uriosa

(d) Vinum accendit ferociam.

uiviosa res vinum, & tumultuosa ebrietas. Inter exempla numerandus M. Antonius, vir, ut ait Annæus Seneca, magnus & ingenij nobilis. Hunc quæ alia res perdidit, & in externos mores ac vitia non Romana trajecit, quàm ebrietas: nec minor vino, Cleopatrx amor? Hæc illum hostem reipubl. hæc hostibus suis imparem reddidit, hæc crudelem fecit, cum capita principum civitatis cœnanti referrentur, cum inter apparatusissimas epulas, luxusque regales ora ac manus proscriptorum recognosceret: cum vino gravis, sciret tamen sanguinem. Et Alexander ille Macedo non Clytum modò, quod indicavimus, sibi charissimum inter epulas, sed amicorum complures temulentus interfecit; merò appotus clarissimam ac nobilissimam Orientis urbem Persepolin ferro & flammis destructam, solo æquavit. Cambyzes rex Persarum, cum à Prexaspe Satraparum uno admoneretur sobrietatis, ira correptus, jussit Prexaspis filium adduci, atque ad palum ligari, sic ad parentem pueri fatus; tum demum proba, si ebrius sum, cum collimato hoc spiculo cor filij tui tetigero. Simul exoneravit sagittam mediùmque adolescentem vinolenta crudelitate trajecit. Quid? quòd integræ gentes, quales Scythæ & Thraces, tantò se immaniùs humano sanguine, quantò impotentius vino ingurgitant? Hæc cornuti Bacchi violentia est; unde *κεράτης*, quasi *κεράτης*, quod à nomine *κέρας* cornu deflexum est.

IV. (e) Cur in Sacris *Liberi*, feminae pro sacerdotibus adhibite, Quia juxta Siracidem c. 26. nihil est foedius & furiosius muliere vinolenta. Nam mulier, ut idem ait, ebriosa, ira magna & contumelia, & turpitudine illius non tegetur. Cum enim incaluit mero femina, plaustra convitiorum in maritum & domesticos jacit; causa, debilitas cerebri, quod ubi jectum est Bacchò, omnia se hujus sexus vitia produunt. Omnino sic statuendum est, inquit vir doctus, eam quæ violatæ sobrietatis rea est, aut esse destinatione impudicam, aut jam sibi temeratae pudicitia conscientiam. Carol. Paschal. lib. de virt. & vitijs. Hunc furorem significant Mænadum sparsi capilli, armatae facibus manus, ululatus, & clamor inconditus. De hisce Furijs Æneid. 4.

Sævit inops animi, totàmque incensa per urbem

Bacchatur: qualis commotis excita Sacris

Thyas, ubi audito stimulant trieteria Bacchi

Orgia, nocturnusque vocat clamore Cythæron.

Neque immeritò Poëtae Bacchidibus imponunt coronas è serpentibus circumflexas; vinum enim à serpentibus appeti Plinius docet. Et Juvenalis Sat. 6. de muliebri bibacitate:

(e) *Mulier vinosa.*

--- tan-

tanquam alta in dolia longus
Decideret serpens, bibit & vomit.

Miseros lares! in quibus ebriosa femina tumultuatur. Orpheum & Pentheum hæ Mænades discerpserunt. Admonetur vir sapiens, ne quid negotij habeat, aut consilij agat cum hoc sexu, præsertim si plus æquò pitissavit; minimèque caret periculo si sobrius se misceat potis. Quid virosius serpente, præsertim si venenum è liquore Bacchi incaluit? Plinius lib. 14. c. 17. Scimus, inquit, Romanos olim maritos & propinquos, feminis osculum dare consueisse, ut experirentur *an temetum olerent*. Egnatius certè Metellus uxorem, quod vinum bibisset, fuste percussam interemit. Hoc factum Fescennia timebat apud Martialem lib. 1. quare cum ebria vellet culpam velare, viniq; odorem reprimere, vocavit aromata, pastillos, diapasmata, sed frustra; auctus enim foetor ex vini & aromatum ructibus, gravius halavit. Epigramma hoc est.

Ne gravis hesterno fragres, Fescennia, vino
Pastillos Cosmi luxuriosa voras.

Ista linunt dentes jentacula: sed nihil obstat,
Extremo ructus cum venit à barathro.

Quid quod olet gravius mistum diapasmate virus?

Atque duplex animæ longius exit odor?

Notas ergo nimis fraudes, deprensâque furta
Jam tollas, & sis ebria simpliciter.

Alia quoque causa, cur his sacrificulis usus sit Bacchus, dari potest; quia vinum, solvit linguas & loquaces facit, quod feminarum proprium est, unde picam avem garrulam Baccho consecrârunt veteres. Lingua illarum velut molendini rota præsertim, si vino agitur, omnem quamvis periti molitoris operam eludit; sistere conantem, rapiet secum.

V. (f) Cur Satyri & Sileni, ridiculi & petulantes silvarum Dij, sunt Baccho comites additi? Quia cum multo vino plerumque conjungitur scurrilitas, petulantia, impudentia, procacia, libido, & similia ac propria his slipatoribus flagitia. Seneca ep. 84. ubi possidet animum nimia vini vis, quidquid mali latebat, emergit. Et S. Hieronym. in regul. Monach. Venter mero æstuans facile despumat in libidinem. Curtius lib. 5. c. 5. scribit: Babylonij in vinum, & quæ ebrietatem sequuntur, effusi sunt. Feminarum convivia incuntium in principio modestus est habitus; dein summa quæque amacula exuunt, paulatimque pudorem profanant. S. Augustinus (vel quisquis est auctor)

N 3

tractatu

(f) In vino scurrilitas & impudentia.

tractatu de Virginitate & sobrietate: inter alia ebrietatis damna, etiam hæc recenset. Ebrietas flagitiorum omnium mater est, culparum materia, radix criminum, origo omnium vitiorum, turbatio capitis, subversio sensûs, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis. Exodi 32. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* qualem lusum? Veneris, Cupidinum, Salacium Capripedum, in lascivas choreas, & quæ cum his-coniuncta sunt, prurientium.

VI. (g) Nunc ad navim Bacchi; in qua tigrides, pantheræ (pardî, pardali) lynces quid aliud denotant, quàm ebrios & temulentos in varias bestiarum naturas abire? Videas enim homines post vinum largius haustam in miras animalium formas converti: alios quidem leonum & tigridum more ferocire: alios in lascivos hircos transfigurari: alios in ridiculos simios migrare: alios canum instar rixas ciere: alios spurcos suos, alios timidos lepusculos imitari, & madidæ suæ pietati illacrimari: alios alias animantes referre: omnes tamen decoris & honestatis oblitos nihil in homine pro homine agere. Quid enim belluis similis aut abjectius ubi tremulæ manus, lubricus incessus? micant oculi, spumat os, diffluunt genæ, pedes titubant, incerta verba, vertigo capitis, oris factor, ructus, nausea, vomitus? profligata ratio? proscriptus pudor? Qui hæc alio Symbolo repræsentant, fingunt Noëmum vini inventorem miscuisse viti, vinoque sanguinem quatuor animalium, putà Simiæ, leonis, porci, & agni; nam liquor Bacchicus alios facit moriones, quasi simios: alios pugnaces & crudeles, quasi leones: alios lutulentos & fœdos quasi porcos: alios mites, blandos, & quasi agnos.

Nautæ in Delphinos conversi innuunt, potores vivere in humoribus. Plinio teste, hic piscis statim expirat extra aquas; etiam bibonum vita natat in poculis. Delphines ludibundi circa naves saltus exereent; calicum remiges, Ovidio teste, Fastor. 3.

----- ducunt posito duras crateres choreas,

Cultaque diffusis saltat amica comis.

VII. (h) Prisci, Carneade teste apud Philostratum, lib. 3. de imag. Bacchum finxerunt vehi navigio, in cuius prora erat panthera, in puppi tigris, hinc inde hederæ & musica instrumenta; in medio canalis vino exundans: nulli in navigio remi, nullum velum, nullus gubernator, ut significetur, in computationibus & commellationum tempestatibus navigari inter turbines & procellas, præsentissimum honestati ac virtuti naufragium intentantes. De hujusmodi navi Salomon loquitur

(g) Vinum efficit ex homine bestiam. (h) Naufragium in vino.

tur Prov. 23. *Et erit sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator, amissò clavò.* Quid enim? sicut dormiens jactatur in navi ventorum flatibus, maris aestibus ac fluctibus: & nunc videtur ad sidera ascendere, nunc in abyssum demergi; sic vino captus miris phantasmatum intemperijs agitatur, & sursum deorsumque malè vaporato capite rotatur. Secundò, sicut nauclerus dormiens sinit navim in rupes, scyllas, & charybdes agi, quibus eliditur, circumrotatur, mergitur. Sic ebrius in mille fortunarum atque vitæ pericula abripitur; ultròque velut insanus ijs se ingerit conviciando, rixando. Rursus sicut nautæ in tempestate navim exonerant; sic ebrius onus vini, quo ventrem saburravit, evomit, iterumque, quod vomat, ingerit. S. Ambros. lib. de Elia. c. 13. Cernas juvenes terribiles visu hostibus de convivio portari foras, & inde ad convivium reportari: repleri, ut exhauriant; & exhauriri, ut bibant. Tertio, quemadmodum dormiens in navi sopita ratione non sentit piratas, ceteraque necis discrimina, neque contra ea se munit; sic ebrius vino, sopit, mergitque rationem, seque hostibus corporis ac animi in prædam obijcit. Quarto, sicut navis dormiente nauclero, & clavum non regente, abijt in vada, syrtes, scopulos, adeoque certum in naufragium. Sic ebrius suam in ruinam & exitium ruit. Nam primò vino mergit rationem; mersa ratione, velut amisso, mersoque clavo, mergitur voluntas, phantasia, sensus omnes; sequitur naufragium sanitatis, temperantiæ, castitatis, honestatis, sapientiæ, virtutis. Ita navigarunt juvenes illi Agrigentini in Sicilia (de quibus Athenæus lib. 2.) quos nimia vini ingurgitatio adeò dementavit, ut se in triremi vehi, & terribili tempestate jactari crederent. Quare cæperunt supellectilem omnem, quasi navigium exoneraturi, per fenestras eijcere, & præter domum transeuntes, tanquam Deos marinos in opem vocare; ipsum etiam Prætorem, qui fortè cum comitatu præteribat, velut propitium sibi Neptunum inclamare. Neque prius ad mentem & portum rediere, calicum naufragi, quam exhalatâ postridie crapulâ ad Judices vocati, & pridianæ stultitiæ admoniti, increpitique, didicerunt se non in navi, sed decumanis poculis fluctuasse.

VIII. (i) Cum navali Bacchi apparatu quando similitudinem Cypris habere videtur? non abludemus à proposito, si *Cleopatram* Ægypti reginam, in undis lascivientem huc referamus. Erat hæc Alexandriam in Siciliam à M. Antonio Triumviro evocata ad causam, non unius accusationis, dicendam. Nec dubitavit ipsa venire, conscia for-

ma,

(i) *Navis Veneris Baccho familiaris.*

mæ, & artis expugnandi viros. Sumit igitur cultum & comitatum pro ea re, quam agitabat. Cydno fluvio subvehi se molliter jubet navi aurata, remigio argentato, velis purpureis, ad modulorum tibicinum, & citharædorum. Ipsa recumbebat sub conopeo aureo, gemmis distincto: pueri formosuli, habitu Cupidinum adstabant, & ministrabant, quidam ventulum ei facientes. Virgines & ancillæ instar Nympharum per forulos & tabulata navis disponebantur. Ad ripam utramque frequentes ab obvijs, & visoribus aræ & odores. Quid verbis opus? passim voces (& res ita erat) *Venerem ad Bacchum venire commessatum.* Lips. in Monit. Pol.

SYMBOLUM XXI.

Alcithoë & sorores, in vespertiliones.

4. *Metam.*

Ethicè.

1. *Feminarum labor, lanificium.* 2. *Neglectus cultus divini.*

Indicta fuerant Bacchi (adeò Deus hic religione mentes tenebat) per Sacerdotes ejus, festa sacrificia. Fit undique concursus ad illa per omnem Thebaidis regionem, portentis, quæ memoravimus, attonitam. Tamen, ut perversa est feminarum ingenium, non defuit mulier Thebana (nomen ei Alcithoë) quæ quamvis cum sororibus, oculis, auribusque perciperet quantis ab omni ætate & conditione celebraretur Bacchus honoribus, noluerunt tamen animum inducere ad sua studia alij attemperanda. Et quia lanificio dabant operam, tantò magis urgebant domi pensum, quantò frequentiores alias ex ædibus suis matronas evocabat colendi Numinis ardor. Viderunt

Immunè que operum famulas, dominasque suorum
Pectora pelle tegi, Crinales solvere vittas,
Serta comis, manibus frondentes fumere thyrsos.

Nihil ex eo sunt motæ Alcithoë & sorores, Minci filia; instant labori, pertexunt telam, contemnunt diem festum. Et ecce tibi! dum totæ sunt in deducendo filio, subitus tympanorum strepitus allabitur ad aures, tibiæ præterea cantus, & cymbalorum sonitus; neque tamen unde